

Koster, Wilhelm Johannes Wolf

De Aristophane Byzantio argumentorum metricorum auctore

In: *Charisteria Francisco Novotný octogenario oblata*. Stiebitz, Ferdinand (editor); Hošek, Radislav (editor). Vyd. 1. Praha: Státní pedagogické nakladatelství, 1962, pp. 43-50

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/119514>

Access Date: 16. 02. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

DE ARISTOPHANE BYZANTIO ARGUMENTORUM
METRICORUM AUCTORE

Nemo nescit ex codicibus apparere Argumenta metrica complurium dramatum graecorum Aristophani Byzantio, alteri ex magnis philologis alexandrinis, tribui, dum nomine Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ designatur (hunc alium grammaticum ac Byzantium fuisse, qui nobis ignotus sit, otiosa coniectura est). Quod ad tragoedias attinet, omissis Argumentis sermone pedestri scriptis¹ in solo *Oed. R.* tale Arg. traditur, quod ex 16 trimetris eleganter scriptis constat; et verborum delectus, qui saepius Sophoclem exemplo fuisse ostendit,² et ars metrica (semel tantum pes trium syllabarum admittitur, scil. tribrachys v. 7;³ semel quoque caes. hephthem. loco penthemimeris adhibetur, scil. v. 14) ad stylum tragicum aptata sunt. Alterum Arg. metricum ad Sophoclis tragoedias extat,⁴ nempe ad *Ph.*, quod anonymum traditur et 9 trimetros comprehendit. Quamquam etiam in hoc Arg. sermonis sophoclei vestigium invenitur (*ναυβάτη στόλω* v. 4 et *Soph. Ph.* 270), tamen hominem senioris aevi prodit coniugatio periphrastica *χρησθέν ἦν* v. 2.⁵ Maximum discrimen in arte metrica est; quamquam etiam in hoc Arg. uno loco excepto (v. 7 caes. hephthem.) caes. penthem. constanter adhibetur, tamen pedes trisyllabi libere admittuntur, non solum tribracheis, sed etiam dactylus (in pede tertio v. 5) et anapaesti: hi quidem tanta licentia, ut non solum in pede primo (v. 6, in nomine proprio), sed etiam in pede altero (v. 2 et 7; in hoc in nomine proprio), quarto (v. 9), quinto (v. 7) adhibeantur; praeterea his bini pedes trium syllabarum in uno versu inveniuntur (v. 5 et 7) et bis anapaestus dilaceratus est (⊙⊙—, ita ut prima anapaesti syllaba ultima vocis disyllabae sit; v. 2 et 7).

Haec versus pangendi ratio, quae comoediae propria est,⁶ clare ostendit eum, qui Arg. metricum ad *Ph.* composuit, aliter scripsisse atque auctorem Argumenti ad *Oed. R.* Etiam licentius trimetri in poësi didactica aevi hellenistici tractabantur, id quod ex Apollodori *Chronicis* luculenter apparet;⁷ quod addere supervacaneum non est, cum in quaestione tractanda, utrum Aristophanes Byz. re vera Argumenta metrica composuerit necne, iudicium magna ex parte in re metrica versetur. Veri simile est eum, si studium poëtam, ad cuius drama Arg. scripserit, imitandi omitamus, trimetros suos libere composuisse. Itaque, ubi de comoedia agitur, utramque ob causam, et trimetrum comicum imitandi gratia et propter generis didactici suae aetatis consuetudinem, Aristophanem Byz. tali ratione trimetros pangere potuisse pro certo haberi potest.⁸

In tragoedia res sic habet, ut, si Aristophanem Byz. Arg. metrica ad tragicos

tragico stylo componere potuisse concedimus, eum solius Argumenti ad *Oed. R.* auctorem esse suspicari liceat, cum, quamvis in Arg. ad *Ph.* res metrica non obstat, si eum trimetris didactici generis usum esse ponimus, tamen locutio *χρησθέν ἦν* impedit, quominus ad eius tempora adscendamus; itaque inscriptio *Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ* iure in hoc Arg. apposita non est. Sitne inscriptioni, qua alterum Arg. munitur, fides habenda, pro certo affirmare non ausim, quamquam ullam causam extare, ob quam illud prae fracte negari debeat, non credo. Certe id, quod contendit Achelis,⁹ hos versus genuinam *Υπόθεσιν* ex Sophoclis fabula originem ducentem non esse, sed ex compendio mythologico haustos esse, a vero abhorret, cum copiam verborum illam originem clare indicare ostenderit.

Argumenta, quibus Achelis ipse suam opinionem probare studuit, vana sunt. His duobus nititur (p. 436 sqq.): 1) auctor eorum versuum tempore praeterito utitur; sed idem tempus in aliis Argumentis adhibetur, e. g. in Arg. ametro ad *Ant.*, quod ipsum quoque inscriptionem *Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ* habet; quin etiam in uno eodemque Arg. tempora commutantur, e. g. in Arg. metrico ad *Plut.*, quod item *Ἀριστοφάνους* esse traditur (v. 1 *μαντεύεται*, v. 3 *ἔχρησεν*, v. 4 *ὀπιάνεται*, v. 5 *ἦγαγ'*, v. 7 *ἔσπευδον*, etc.); 2) quae in eis versibus narrantur, non quadrant in drama, cuius argumentum exponitur. Hoc quadamtenus verum est (ut in aliis Arg.), sed discrepantias partim finxit, partim nimis auxit Achelis. Gravior ex eis haec affertur, quod Soph. Oedipodem, priusquam Laïum occiderit, Delphos pervenisse narrat (v. 787 sqq.), sed in Arg. metrico Oedipodem et Laïum ad oraculum delphicum proficiscentes forte pedem coniunxisse statuatur (quae narratio Euripidis est; v. *Phoen.* 32 sqq.). At re vera Arg. a tragoedia Sophoclis non dissentit; deinceps enim in eo cognoscimus Oedipodem Delphos iisse (*ἦλθεν*, v. 3) et Laïum occidisse (*εὐρών δὲ . . . ἔπεφνε*, v. 5 sq.), ut non appareat hoc factum esse, antequam Oedipus Delphos venerit. Tunc Achelis falso contendit *πατρός νόθος . . . λοιδορούμενος* (*Arg.* v. 1 sq.) non congruere cum Sophoclis verbis *πλαστός ὡς εἶην πατρί* (*Oed. R.* 780); immo *πλαστός* idem fere valere quod *νόθος* docent Jebbii versio („not the true son“) et annotatio (*πλαστός*: „falsely called a son“; *πατρί*: „to deceive him“).¹⁰ In hac quidem re discrepat Arg., quod Oedipodem *πρός τῶν ἀπάντων* istud audivisse docet (v. 2), sed Soph. ab uno (v. 779); attamen mythographi quoque ab Achelisis collati non congruunt (*aequales* Ps. Hyginus fab. LXVII; *ὠνειδίξετο* nude Ps. Apollodorus III 50, p. 121 Wagner).

Transeamus ad comicos, ad quos multo plura Arg. metrica Aristophani Byz. attribuuntur: ad Ar. ex codd. iam dudum innotuerunt inscriptiones *Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ* (vel etiam nude *Ἀριστοφάνους*¹¹) ad *Ach.*, *Eq.*, *Vesp.*, *Pac.*, *Av.*, *Ran.*, *Ecol.*,¹² *Plut.*; nuper accessit Arg. ad Menandri *Dyscolum*. Similia Arg. metrica inscriptione illa carentes extant ad Ar. *Nub.* et *Lys.*, ut inter Aristophanis comoedias servatas sola *Thesm.* Arg. metrico destituta sit in R solo servata,¹³ et ad Menandri *Heröem*. Contra in comoediarum Arg. ametris semel tantum illa inscriptio invenitur, scil. in Aristophanis codice tzetiziano U ad Arg. *Av.* I Db et Coulon¹⁴, ubi suspicari licet eam a Tzetzta additum esse, cum in RV suo loco ad Arg. metricum (in U omissum) legatur et ad Arg. illud ametrum desit.

Ergo in comoedia res inversa est: aut nullum aut unum Arg. ametrum Aristophani Byz. tribuitur, sed in tragoedia unum Arg. metricum. Si — id quod multi opinantur; v. e. g. Achelis, op. cit. (n. 15) III p. 152 — Arg. ametra eius generis, quod in tragoediis Aristophani Byz. adscribitur quodque propter annotationes didascalicas in eo servatas maximi momenti est, re vera ab eo viro docto originem ducunt, illa traditionis diversitas fortasse sic explicanda est, ut in tragoediis Arg. metrica Aristophani Byz. adjudicata praesto non essent excepto illo dubiae auctoritatis ad

Oed. R., sed in comoediis, in quibus Arg. ametra eius generis anonyma non desunt,¹⁵ haec post Arg. metrica legerentur et una cum Arg. metricis inscriptione Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ semel tantum apposita traderentur.

In codd. Aristophanis ordo Argumentorum variat; in antiquissimo R ex quinque Arg. metricis in eo servatis tria quidem primo loco posita sunt (ad *Ran.*, *Av.*, *Vesp.*) nomine Aristophanis (Byz.) addito, sed duo post Arg. ametrum Aristophanis Byz. nomine omissis (ad *Lys.* et *Ach.*). At in papyro, quae nobis *Dyscolium* reddidit quaeque saec. III post Chr. n. est¹⁶, textum comoediae Arg. metricum sub inscriptione Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ ἢ ὑπόθεσις¹⁷ praecedit, quod excipit lineolarum serie sub ultimo versu exarata, sub qua spatium vacuum relinquitur, nuda notitia didascalica, qualis Arg. ametrus Aristophani Byz. tributis inseri solet.

Suspiciari licet eam papyrum formam priscam Argumenti compositi (scil. ex ipso Argumento et ex notitia didascalica, quae proprie ὑπόθεσις vocari non potest), nobis ostendere, quam in comoedia universa adhibitam esse supra conieci, licet in aliis fabulis partem ametræ primitus iam plura comprehendere potuisse non negaverim.¹⁸ Nihilominus tamen inter Arg. ametra ad Aristophanis comoedias etiam sunt, quae, ut notitia post Arg. metricum ad *Dyscolium* posita, merae notitiae didascalicae sint (ad *Nub.* VDb = VI Coul.; ad *Plut.* IVDb = III Coul.).¹⁹

Restat, ut de comoediae Arg. metricorum auctore disputemus, quem Aristophanem Byz. esse praeeunte Nauckio (in Aristophanis Byz. fragmentorum editione in initio laudata, p. 256) paene omnes viri docti, qui de eis scripserunt, negaverunt. Sunt, qui post *Dyscolium* repertum etiam in hac fabula nomen Aristophanis Byz. iniuria Arg. metrico praepositam esse et re vera notitiam didascalicam solam ab eo compositam esse contendunt, velut nuperrime R. Cantarella (in scriptis, quae ed. Università di Genova, Facoltà di Lettere, Istituto di Filologia Classica, 1960, p. 55); sed in tanta Arg. metricorum ad *Dyscolium* et ad Aristophanis fabulas congruentia (etiam in eis, quae reprehensioni ansam dant, praesertim in narrationis discrepantia²⁰) haec res paucis diiudicari nequit.

Argumenta, quibus inde a Nauckio utuntur, ut Aristophani Byz. Arg. metrica abiudicant, trifaria sunt. Gravissimum habetur, quod haec levia opuscula summo grammatico indigna censent, quorum „narrandi negligentia et temeritas atque ineptia“ a Nauckio nimis severe perstringuntur (op. cit. p. 256); quamquam, quod ad narrandi negligentiam attinet, etiam Arg. ad *Dyscolium* in hac re culpa non vacare vidimus. Alterum in re metrica, tertium in sermone ab Argumentorum auctore adhibito positum est. Quae in his offendunt, partim ex traditionis incuria explicari possunt, cum haec opuscula, quae orationis solutae modo tradebantur, id quod iam in R factum est, non tam diligenter transcriberentur, quam textus comoediae, et, sicut scholia, variationis libidini obnoxia essent. Restant tamen complura, quae iam Argumentorum auctori (vel auctoribus) adscribenda sunt.

Ea argumenta Nauckium adduxerunt, ut Arg. metrica byzantinae aetatis esse declararet; quam coniecturam vanam esse nunc Arg. metricum ad Menandri *Heroem* in cod. Cairensi saec. V post Chr. n. scripto servatum et etiam antiquius traditum ad *Dyscolium* luculenter demonstrant. Ad saec. II post Chr. n. ea exceptis menandreis nondum repertis rettulit Wilamowitz in dissertatione celeberrima a. 1889 primum edita, cui titulus *Einleitung in die griechische Tragödie* (ed. altera p. 146), quem secutus est Radermacher (*Aristophanes' „Frösche“*, ed. alt. 1954, p. 83). Argumentum a Wilamowitz prolatum (scil. eo tempore grammaticos Latinos talia Argumenta composuisse) a Radermachero accuratius elaboratum est, qui animadvertit Arg. metrica ad Ar. ex eodem numero versuum (10) constare,²¹ sicut *Periochas* ad Terentium a C. Sulpicio Apollinari composita (12), qui priore parte

saec. II post Chr. n. vixit. Praeterea Radermacher iure opinatus est ex hac re concludi posse Arg. metrica ad Ar. unius auctoris esse, id quod G. Michel in dissertatione mox laudanda iam statuerat (p. 6).

Nunc videmus utrumque Arg. metricum menandream eundem numerum versuum (nempe 12) comprehendere, ut nexus inter haec Arg. et *Periochas* Sulpicii Apollinaris etiam firmior sit quam inter Arg. aristophanea et *Periochas*, id quod in poëtis affinis minime mirandum est; auctorem Arg. metricorum ad Menandrum eundem esse atque Arg. metricorum ad Aristophanem haud vana suspicio est.

Ut opinio Wilamowitzii Radermacherique hunc hominem saeculo II post Chr. n. assignantium defendatur, ponendum est *Periochas* terentianas exemplo fuisse Argumentis cum aristophaneis tum menandream; itaque res ita se haberet, ut in his Arg. auctor Arg. graecorum auctorem latinorum imitatus esset, et quidem ad poëtas, ex quibus graecus latino exemplo fuisset. Immo res inversa omnino probabilior est, cum grammatici latini graecos sequi soliti sint, non graeci latinos; id quod Wilamowitz in didascaliiis „natürlich“ factum esse declaravit (p. cit., n. 35). Ergo pro certo statuere possumus Arg. metrica graeca saeculo II p. Chr. n. antiquiora esse.

Ad aetatem alexandrinam nos duxit G. Michel, *De fabularum graecarum Argumentis metricis*, diss. inaug. Giessen 1908, qui cum in Arg. metricorum sophocleorum ad *Ph.* et ad *Oed. R.* tum in aristophaneorum et menandream ad *Heroëm* rem metricam inquirens et etiam sermonis in eis adhibiti rationem habens Argumenta ad comoedias illa aetate composita esse demonstrare studuit, et quidem altero potius quam primo saec. ante Chr. n. (p. 29 de Arg. aristophaneis; p. 33 de Arg. menandream); Arg. ad *Ph.* et ad *Oed. R.* exemplo Argumentorum ad comoedias compositorum orta esse contendit (p. 49), iure, ut opinor, quod ad Arg. ad *Ph.* attinet, sed eadem fere aetate (sic Michel p. 33).

Illud Michel certe demonstravit eiusmodi versus, quales Arg. ad comoedias (et ad *Ph.*) continent, ea aetate pangi potuisse, cum, id quod iam in initio huius dissertationis exposui, eae licentiae, quae Nauckium „versus interdum monstrosos“ (op. cit. p. 256) perstringentem aliosque offenderunt, in poësi didactica eius aevi, praesertim ubi de comicis agatur, tolerandae sint. Ei versus, quos Nauck e. g. citavit, scil. Arg. ad *Eccl.* 2 et ad *Eq.* 10, at ab Aristophane comico et ab Apollodoro didactico ita pangi poterant. In hoc tres tribracheis leguntur, quos non solum Aristophanes poëta admisit (White, op. cit. p. 49), sed etiam Aristophanem grammaticum evitaturum non fuisse apparet, qui ei trimetro iam allato, quem de Menandro scripsit, tres pedes trisyllabos inseruerit; si quis insuper gravatur, quod illi tres tribracheis nullo pede disyllabo separantur, inspiciat Aristophanis comoedias, e. g. *Ach.* 1054. Arg. metrici ad *Eccl.* v. 2 corruptus est in codd. (inter quos R non est; in V haec comoedia desideratur) et in Ald; correctio Bergkii pro *προκαθίζοντα* (Γ) vel *-ίζοντα* (ceteri) *προκαθίζειν* scribentis non solum metri causa, sed etiam propter sensum necessaria est; qua recepta metrum sine offensione est, nam anapaestum solitae formae, quem in pede altero ostendit vox *προκαθίζειν*, libere admitti posse et Aristophanes poëta et Apollodorus docent.

Quin etiam vidimus anapaestos dilaceratos in hoc genere tolerandos esse; itaque non est, cur miremur, quod e. g. Argumenti ad *Dyscolum* v. 2 a verbis *ἐγγημεν ἔχουσαν* incipiat et eiusmodi anapaestum in v. 6 habeat, et Arg. metrici ad *Vesp.* v. 1 a verbis *Φιλοῦντα δικάζειν* incipiat et eiusmodi anapaestum in v. 4 habeat (accedit eiusmodi anapaestus in v. 1 Arg. metrici ad *Av.*). Idem pertinet ad diaeresin mediam in v. 6 Arg. ad *Vesp.* et in v. 3 Arg. ad *Dyscolum* obviam. Quod in hoc versu *ἄρρων* ita scanditur, ut syllaba prior correptione attica neglecta pro longa sit, hoc Menander

ipse aliquoties admisit (*δπλα Epitr.* 148; *μίτρα Peric.* 393; *τέκνον Mis.* 16; *περικρούειν Dysc.* 414; *ἀπόπληκτος Dysc.* 839).

Quamquam igitur Michelii opinioni adstipulor demonstranti Arg. metricorum artem versus faciendi ab aetate alexandrina alienam non esse, illud probavisse mihi non videtur eam ad hanc solam aetatem spectare, cum nimis pauca exempla posterioris aetatis comparaverit (Babrium et Georgium Pisidam, p. 26 sq.); etiam ei poëtae, qui post Chr. n. trimetros poëticos, ut ita dicam, non didacticos scripserunt, non semper a genere componendi liberiore abstinuerunt et anapaestum licenter admiserunt, velut Palladas et Agathias (cf. liber meus *Traité de métrique grecque*² p. 117). In initio huius dissertationis animadverti Arg. metricum ad Soph. *Ph.*, quod in arte metrica cum Arg. metricis ad comicos consentit, tamen propter locutionem *χρησθὲν ἦν* post Chr. natum scriptum esse debere. Ex eis, quae de Sulpicio Apollinari Arg. metricorum ad comicos graecos imitatore scripsi, apparet quidem eorum auctorem ante saec. II post Chr. natum vixisse, sed nondum probatur eum aetati alexandrinaetribuendum esse.

Ex copia verborum, quibus Arg. metricorum auctor utitur, idem fere concludere possumus, quod ex re metrica, nempe eum aetate alexandrina scribere potuisse. Nauck inter „verba sequioris aevi propria“ (op. cit. p. 256) *δπάνεται* (Arg. metricum ad *Plut.* 4) tantum attulit, quae forma verbi *δράω* maxime suspicionem movet cuiusque vetustissima exempla tunc temporis ex Veteris et Novi Testamenti sermone nota erant. Sed postea accesserunt exempla ex papyris saec. II ante Chr. n. (duo ap. Mayser, *Gramm. der gr. Pap. aus der Ptolemäerzeit*², I, 3, p. 149; c. 160 et 117 ante Chr. n.), ut ne haec quidem vox obstat, quominus Arg. metricorum auctorem aetati hellenisticae assignemus. Suspecta vox etiam est *σχολή*, quae in Arg. metrico ad *Nub.* 8 sensu concreto (*τῆς σχολῆς τοῦ Σωκράτους*) legitur, et eodem sensu, quantum sciamus, a Dionysio Hal. primo adhibita est (*τὴν ἑαυτοῦ σχολήν*, *Isocr.* 1, p. 56, 3 Us.-Raderm.), sed sensu appropinquanti *studiosorum disputantium conventus* iam ab Aristotele (*Pol.* 1313b 3: *μήτε σχολὰς μήτε ἄλλους συλλόγους . . . σχολαστικούς*; cf. *ἑτέρας . . . σχολῆς* 1323b 39). Accedit, quod hoc Arg. in codd. Aristophani Byz. non attribuitur, ut, si quis propter eius vocis usum Aristophanem Byz. aut alium grammaticum aetatis alexandrinae auctorem esse negare vult, imitatore substituire possit, quod equidem necessarium non puto.

Quamquam igitur, ut iam dixi, res metrica et sermo hoc tantum demonstrant Arg. metricorum auctorem illi aetati assignari posse, tamen veri simile mihi videtur eum tunc re vera vixisse et Aristophanem Byz. ipsum fuisse. Ea opinio a J. Wagnero (*Die metrischen Hypothesen zu Aristophanes*, *Wissensch. Beil. zum Jahresber. des Askanischen Gymnasiums*, Berlin 1908) argumento satis valido niso prolata est. Animadvertit enim copiam verborum et rationem, qua in versu disponuntur, in Arg. metricis ad Aristophanem non solum consentire cum Aristophane ipso, sed etiam cum Menandro (p. 5—9 et 15 sq.). Exemplum luculentum vox *σκατοφάγος* est sensu translato et attenuato (*impurus*), quo in Arg. metrico ad *Eq.* 5 legitur. Ea vox Menandro in deliciis erat et iam a Photio tamquam vox menandrea notata est (s. v.) addito exemplo Fr. 733 Koe.; cod. Cairensi reperto accesserunt *Peric.* 204 et *Samia* 205, quibus exemplis ex *Dyscolo* adverbium addendum est (v. 488).

Quod ad verborum dispositionem attinet, Wagner observavit complures voces iambicas vel pyrrhichicas aut plurium syllabarum eiusdem desinentiae, quae in Arg. metricis in fine trimetri ponuntur, apud Aristophanem et apud Menandrum eundem locum occupare solere, et interdum etiam magis apud hunc, velut *τινές* (Arg. metr. *Ach.* I; 4, et Arg. metr. *Av.* 1). In comoediis Aristophanis ex 9 locis, ubi haec vox in trimetris usurpatur, septies in fine trimetri est secundum Wagnerum; addo

τινές apud Menandrum ante *Dyscolum* repertum semper in fine trimetri lectum esse, scil. secundum Indicem Koertei (omisso versu non certo restituto *Cith.* 97) his locis: *Perinth.* fr. 4, 1; Fr. 82, 2; 153, 2; 795, 2; secundum Indicem Martini²² eo loco occurrit v. 488, sed bis in medio trimetro, scil. v. 198 et 609;²³ quin etiam verborum coniunctio δύο τινές in Arg. metr. ad *Av.* 1 etiam apud Menandrum extat (Fr. 153, 2; similiter *πλείους τινές* Fr. 795, 2), sed inter multo plures trimetros aristophaneos nullus occurrit, qui ita desinat.

Ex vocibus magis insolitis a Wagnero tractatis affero *νόσον* in fine trimetri Arg. metr. *Vesp.* 3 (apud Aristophanem, qui hanc vocem decies in trimetris adhibet, bis in fine; apud Menandrum quinquies et quater in fine) et *λεγόμενοι* Arg. metr. *Vesp.* 5 (huius participii formae in trimetris Aristophanis ter et nunquam in fine, in Menandri septies et ter in fine).²⁴

Ea affinitate inter auctorem Arg. metricorum et Menandrum intercedenti Wagner apte usus est, ut Aristophanem Byz. illum esse demonstraret. Scimus enim eum Menandrum permagni fecisse, id quod non solum ex iudicio de Menandro et vita alterutro alterutrum imitantibus iam allato (ap. Syrian. in Hermog. II 23, 8) apparet, sed etiam ex alio, quo Menandro secundum locum Homero tantum praelato dedit (in epigrammate ap. Kaibel, *Epigr. gr. ex lap. coll.* 1085 = Coughy, *Epigr. Anth. Pal.* III, III 114). Cum iam viderimus nihil obstare, quominus Arg. metricorum auctorem aetati alexandrinae attribueremus eumque iam in papyro saec. III post Chr. n. Aristophanem grammaticum vocari, illud argumentum magnam vim habere mihi videtur, quo credamus inscriptiones Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ iure Arg. metricis superscribi.

Superest, ut de argumento gravissimo, ut multis videtur, contra inscriptionum veritatem proloato, scil. ea Arg. metrica tanto viro indigna esse, nonnulla addamus. Reputandum est ea editionibus praemissa esse, quae non viris doctis, sed vulgo legentium destinata erant,²⁵ id quod Wilamowitz iam statuerat (op. cit. p. 146), ut Aristophanem Byz. potius simplicitati et brevitati quam minutius philologorum ἀκριβεία et narrationis aequalitati studuisse credendum sit. Eius studii exemplum luculentum praebet Arg. ad *Dyscolum*, in quo, ut iam commemoravi, parum accurate Cnemon filiam suam in matrimonium dare et Sostrati sororem uxorem Gorgiae accipere dicitur, dum in ipsa comoedia Cnemon Gorgiae privigno pro filio adoptato permittit, ut illam puellam in matrimonium det, cui velit, et ei omnia patris familiae iura, ut ita dicam, mandat (v. 731—739), ut Gorgias in uxore sibi quaerenda eligendi optionem ipse habeat. Grammaticum celeberrimum compositionem talium nugarum non infra dignitatem duxisse collegae hodierni severiorem Musam solam colentes fortasse mirabuntur, sed antiqui de his rebus aliter iudicaverunt. Certe Sulpicius Apollinaris, inter sui temporis grammaticos pari fama florens, *vir praestanti litterarum scientia et in memoria nostra praeter alios doctus* (Gellius IV 17, 11; XVIII 4, 1), non gravatus est in Terentio praestare, quod Aristophanes Byz., nisi fallor, in Aristophane et in Menandro praestitisset.

¹ Ex quibus Arg. ad Aesch. *Eum.*, Soph. *Ant.*, Eur. *Med.*, *Bacch.*, *Or.*, *Phoen.*, *Rhes.* in codd. Aristophani Byz. attribuantur; cf. Th. H. O. Achelis, *De Aristophanis Byzantii argumentis fabularum*, Pars I. Philol. LXXII (N. F. XXVI), 1913, p. 432.

² Copiam verborum Sophoclis in hoc Arg. compilatam esse in primis apparet ex verbis τῶ κακοῦ πανσθήριον (v. 11; cf. νόσον πανσθήριος *Oed. R.* 150; substantive Nic. *Th.* 746); cf. praeterea φτυοσπόρος (v. 4 et Soph. *Tr.* 359), Δελφικὴν πρὸς ἑστίαν (v. 10; Δελφικῆς ἀφ' ἑστίας Soph. *Oed. C.* 413), θανάσιμον μέλος (v. 7; θανάσιμος eodem sensu ap. Soph. *Oed. R.* 560, *Ai.* 1033, *Tr.* 758).

³ Lectione codicis G ap. Dindorf, *Scholiam in Sophoclem* II p. 11, θνήσιμον recepta etiam hic pes disyllabus evadit; sed exempla sophoclea iam sola sufficiunt, ut, omissa voce aliunde ignota, θανάσιμον (ita etiam Laurentianus vetus) retineamus.

⁴ Non respicimus cetera poëmatia, quae Argumenti vice funguntur (carmen elegiacum ad *Oed. C.*, Dindorf, *Scholiam* II p., 17; quattuor trimetros ad *El.*, ib. p. 243), quibus cum Aristophane Byz. quicquam commune esse nemo contendet.

⁵ Et quidem post Christum natum. Vide G. Björck, *HN ΛΙΑΣΚΩΝ*, Uppsala 1940, p. 74 sqq. Exempla rarissima huius coniugationis periphrasticae, quae partic. aor. cum imperf. coniunctum ostendunt, ex auctoribus classicae aetatis a Björckio citata p. 83 sq. (Thuc. IV 54; Hdt. III 27), meram paraphrasin proprie non continent, cum, sicut in ceteris exemplis ex illis auctoribus eo loco citatis, verbo εἶναι aliqua vis attribuenda sit (ἦσαν ... γενόμενοι ... λόγοι = verba prius facta adhuc valebant ap. Thuc.; θεὸς εἶη φανεῖς = deus apparuisset et nunc adesset ap. Hdt.).

⁶ Anapaesti dilacerati eius generis, quod indicavi, apud Aristophanem poëtam non desunt, velut *Ach.* 6; cf. J. W. White, *The verse of Greek Comedy*, p. 47.

⁷ Exempli gratia inspiciamus Apollodori fragmenta, quae sunt apud Jacobyum FGHist IIB (244), 32 et 47. In illo ex 9 trimetris plene servatis duo (v. 10 et 15) binos pedes trisyllabos habent; dactylus in pede quinto invenitur (v. 10), quo loco in comedia, non in tragoedia admittitur; quattuor anapaesti insunt: in pede primo v. 15 (dilaceratus), in pede altero v. 14 (in nomine proprio), in pede quarto v. 10 et 13 (in hoc dilaceratus). Praeter caes. penthem. et hepthem. bis diaeresis media adhibetur (v. 10 et 12). In fr. 47 ex 19 trimetris plene servatis aut certo restitutis, quod ad rem metricam attinet, duo (v. 5 et 28) trinos pedes trisyllabos, septem (4, 6, 9, 26, 30, 31, 33) binos pedes trisyllabos habent; anapaestus frequentissimus est: in pede primo v. 5, 7, 9, 24, 31, 32, 34; in pede altero v. 5, 9, 23, 27, 33; in pede tertio v. 4, 5, 25; in pede quarto v. 33. Vides non solum duo anapaestos se excipere (v. 9), sed etiam tres (v. 5); praeterea v. 33 anapaestum dilaceratum insoliti generis habet (⊔⊔);— prior anapaesti pars ulterior vocis plurium syllabarum est, ut Ar. *Av.* 1022 et paucis aliis locis; cf. White, op. cit. p. 46). Praeter caes. penthem. et hepthem. diaeresis media frequens est (v. 5, 8, 23, 25, 26, 34); quin etiam diaeresis post pedem quartum occurrit (v. 31 et 32). Utraque diaeresis Ar. utitur, licet rarius (White, op. cit. p. 55).

⁸ Quod Aristophanes Byz. Apollodorum aetate praecedit, hoc causam praebere non puto, propter quam credamus eum nondum hoc iamborum genere didactico usum esse. Aristophanis Byz. sesquialter trimeter de Menandro scriptus, quem servavit Syrianus (In Hermogenem II 23, 8 Rabe; Nauck, *Aristophanis Byzantii grammatici alexandrini fragmenta*, Halis 1848, p. 249): ὦ Μένανδρε καὶ βλε, / πότερος ἄρ' ὑμῶν πότερον ἀπεμμήσατο; hoc certe demonstrat eum pedum trisyllaborum coacervationem (tres in uno versu) non vitavisse. Ceterum hi versus tam invenusti sunt, ut Nauck perhibere potuerit id fortuitum esse, quod Aristophanis Byz. verba trimetrum effecerint (p. 250).

⁹ Op. cit. I, p. 440.

¹⁰ Achelis *Oed. R.* 1022 conferens non vidit convicium ab homine ebrio prolatum acerbius fuisse quam pro rerum statu, quem Sophocles finxit, et frustra contendit Argumenti auctorem θετός pro νόθος ponere debuisse.

¹¹ Ita Arg. metr. ad *Ran.* in R et ad *Plut.* in V; verborum ordo Ἀριστοφάνους ὑπόθεσις Βαυράχων et Πλούτων testatur nomen illud poëtae non esse.

¹² Ad *Eccl.* inscriptio non solum in Ald extat, sed etiam in cod. Monac. 137 (N Velsen) minio m², quem cod. non attulit Coulon.

¹³ Monac. 492 (G), ex R descriptus, teste Velsenio nullum Arg. habet.

¹⁴ In his editionibus ea inscriptio omittitur.

¹⁵ Cf. Achelis, op. cit. III (Philol. LXXIII, N. F. XXVII 1914—1916), p. 144 sq.

¹⁶ Et quidem prioris partis huius saeculi secundum editorem principem V. Martin (Papyrus Bodmer IV. Ménandre *Le Dyscolos*, 1958, p. 9).

¹⁷ ἡ etiam additur in inscriptione Arg. ametri *Eumenidum*; v. Achelis, op. cit. I p. 432, n. 111. Articulum ad priscam inscriptionis formam pertinere puto, qua unicum dramatis Argumentum designaretur, antequam plura Argumenta ad singula dramata adderentur.

¹⁸ Velut in Arg. ametro anonymo ad *Ach.* I iudicium τὸ δὲ δράμα ... προκαλούμενον (a 41 sqq. Db; 36 sq. Coulon), quae verba ipsam annotationem didascaliam praecedunt, et similia in aliis comediis Aristophanis. At, quae in eiusmodi Argumentis praemittuntur, ut fabulae argumentum cognoscatur, olim defuisse pro certo haberi potest, cum Arg. metricum iam illa vice fungeretur.

¹⁹ Neutrum in R. Neutrum statim post Arg. metricum (sicut ad *Dyscolum* fit) sequitur in V.

²⁰ In Arg. metrico ad *Dyscolum* v. 10 sq. parum recte Cnemon filiam Sostrato in matrimonium dare et Sostrati sororem uxorem Gorgiae accipere dicitur; cf. v. 761 et 838.

²¹ Ultimos 3 versus Arg. metrici ad *Ach.*, qui in R desunt, suppeditant cod. Γ et Ald.

²² Indicem Martinii non semper rectum esse comperi; numeri mei cum ipso textu congruunt.

²³ Hic usus menandreuus etiam elucet, si cunctas formas disyllabas pyrrhichicas vocis τῆς consideramus. In *Dyscolo* formae disyllabae in consonantem exeuntes (τινός, τινές, τινάς) septies (incluso v. 569, in quo pap. recte τινος) in fine trimetri occurrunt, sed quater in medio trimetro. Frequentiam formarum in vocalem desinentium in fine trimetri etiam maiorem esse non est, quod miremur, cum prosodia in medio trimetro difficilior sit (aut syllaba ultima positione producta aut in pede trisyllabo); hae formae (τινι, τινά; τισι non inveni) decies et septies in fine trimetri leguntur, sed nusquam in medio trimetro, ubi forma elisa τιν' (τινά) tantum occurrit.

²⁴ In voce λεγόμενος addidi duo locos, qui ex papyris menandreis innotuerunt. Praeterea locos a Wagnero omissos in Aristophane adnumeravi.

²⁵ Wagner ingeniose, sed audacter opinatus est Aristophanem Byz. Arg. metrica puero regio, qui eius discipulus esset, destinavisse (p. 13).